

Praeterea eadem provincia jam prius a provincia franciscana albanensi obtinuit et recepit quatuor parochias: Peć, Zlokućani, Glodani, Zjum, de quibus omnibus schematismus provinciae bosnensis sic scribit: »A parochia de Peć separatae sunt parochiae: de Zlokućani anno 1900, et anno 1922 parochia Glodani. Quae omnes, una cum parochia Zjuma et sanctuario de Đakovica, unitae sunt anno 1925, ex optatis regii gubernii et de voluntate S. Sedis, provinciae Bosnae Argentinae«.<sup>3</sup>

#### B. De provincia S. Crucis Sloveniae

Hodierna provincia Sloveniae originem dicit a vetere illa et magna Vicaria Bosnae. Haec enim anno 1514, ut vidimus, divisa fuit in Vicariam Bosnae Argentinae sub othomano imperio, et Vicariam Bosnae Croatiae sub potestate principum christianorum remanentem (utraque ab a. 1517 nomine provinciae insignita in historia reperitur). Sed progradientibus armis Othomanorum contra Croatos, fratres provinciae Bosnae Croatiae, amissis 27 conventibus, retrahentes se in partes magis versus septentrionales et occidentales nova refugia inibi inter Croatos et Slovenos quaerabant. Nomen tamen Bosnae-Croatiae usque ad annum 1708 retinuit, quo quidem anno commutatum fuit in illud S. Crucis Croatiae — Carnioliae. Sub hoc vero nomine, cum quibusdam interruptionibus, usque ad annum 1900 permanxit, quando ab ipsa conventus in croaticis regionibus siti avulsi novaeque provinciae SS. Cyrilli et Methodii adjuncti erant. Tunc enim ipsa de suo titulo nomen Croatiae expunxit. Cassatis denique post bellum mundiale limitibus austro-hungaricis et omnibus Slovenis in unitam Sloveniam adunatis Provincia die 22 Julii 1919 sibi imposuit titulum: S. Crucis Sloveniae.<sup>4</sup>

Sodales hujus provinciae, praeter alias diversas actiones, munere quoque pastorali funguntur sive in propriis paroeciis sive adjuvando clerum saecularem. Hodie provincia tenet octo parochias, videlicet: parochiam Annuntiationis

<sup>3</sup> Conspectus historicus..., 73, 132—135; Karin, o. c. 140.

<sup>4</sup> Schematismus almae provinciae Sloveniae S. Crucis O. F. M., Rocno 1939, 5—7.